AUTHOR:

KLEIN, FRANZ NICOLAS

TITLE:

ADDITAMENTORUM AD DION...

PLACE:

CONFLUENTIBUS

DATE:

1831

Master Negative #

93-81235-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Klein, Franz Nicolas,
...Additamentorum ad Dion. Lambini Emendationes Tullianas nuper editas particula prior... Confluentibus, excudebat B. Heriot, 1831.
10 p. 28 cm.


At head of title: Examinibus publicis in Gymnasio regio Confluentino... invitat Franc. Nic. Kleinius...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 13.5X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-23-93
INITIALS MY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202




Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

EXAMINIBUS PUBLICIS
IN
GYMNASIO REGIO CONFLUENTINO

DIEBUS 12. 13. ET 14. MENSIS SEPTEMBRIS A. 1831.

RITE HABENDIS

UT INTERESSE

ET

ORATIONES ALIQUOT CIVIUM PRIMÆ CLASSIS RELIQUORUM DECLAMATIUNCULAS SIVE RECITATIONES MELICO CERTAMINI INTERPOSITAS

AUDIRE VELINT

PRÆSIDES PROVINCIÆ RHENANÆ EXCELLENTISSIMOS ILLUSTRISSIMOS SUPREMI REGIMINIS CURIÆQUE CONFLUENTINÆ MODERATORES SAPIENTISSIMOS QUIQUE A CONSILIIS SUNT LECTISSIMOS HUMANISSIMOS VIROS SUPREMUM SENATUM QUI RERUM SACRARUM ET SCHOLASTICARUM IN HIS TERRIS CURAM HABET CLERUM URBIS VENERABILEM CIVITATIS CONFLUENTINÆ MAGISTRUM CUM PATRIBUS GRAVISSIMIS PROCERES DENIQUE QUI IN HAC URBE DEGUNT NOBILISSIMOS FORTISSIMOS CONSULTISSIMOS

EA QUA PAR EST ET DECET

OBSERVANTIA

INVITAT

FRANC. NIC. KLEINIUS

GYMNASII CONFLUENTINI DIRECTOR ET PROFESSOR

SOCIETATI LATINÆ IENENSI HONORIS CAUSA ADSCRIPTUS.

INSUNT:

1) Additamentorum ad *Dion. Lambini* Emendationes Tullianas nuper editas particula prior.
2) Annales rerum Gymnasii inde a die 18. mensis Octobris a. 1830. continuati.

CONFLUENTIBUS 1831
EXCUDEBAT B. HERIOT.

POST absolutum anno superiore *Dionysii Lambini* Emendationum Tullianarum (sic enim inscribere malui) volumen, ad fidem editionis librorum Ciceronis Lambinianae a. 1565. accuratum, cuius libri iustam recensionem litterae nostrae flagitare quodammodo videbantur, coepi equidem reliqua maiore etiam diligentia circumspectare et colligere, quae vir ingeniosissimus post Ciceronem ab se editum feliciter excogitata Commentariis tum Horatianis tum Lucretianis, a. 1567. et 1570. denuo et tertium editis, inseruit. ea sunt autem eiusmodi, ut negligi sine magno damno ab iis non possint, qui *Lambini* potissimum opera in legendo Cicerone utuntur.

In his igitur colligendis atque digerendis, quod me facturum ante hos decem menses professus sum, nunc quam maxime elaboro, eaque quum perfecero quibus praetermissis Tulliani operis ab Lambino feliciter inchoati absolutio esse nulla potest, tum demum ad ea recensenda et collustranda progrediar, quae post Lambini mortem inde ab a. 1573. publici iuris facta sunt, tanquam *novae* quaedam recensionis Lambinianae *accessiones*. prodiit enim eo ipso anno, incertum quo auctore, *Puteanea* decem voluminibus formae octuplicatae, eaque Lambinianae a. 1565. *repetitio* fons est reliquarum editionum, quae *Lambini* nomen falso inscriptum habent.

Sed de his rebus alio et suo loco nobis dicendum erit, quum praefabor Emendationum Tullianarum Epimetro sive Curis Secundis. nunc oblata scribendi facultate (indicenda enim sunt hac scriptione *Publica Examina*, quae discipulis nostris subeunda erunt his proximis diebus), sic utar hac facultate, ut ea colligam atque componam, quae tertia *Lucretii* editione Lambinus in Cicerone suo, nimis tum varias ob causas festinato, aut immutanda esse statuit, aut certe melius explicanda, quam id antea factum erat a. 1565.

Atque haec quae dixi *priore* particula Additamentorum ad Lambini Emendationes Tullianas nuper a me editas continentur. *altera* comprehendet plura eiusdem generis, tum ex Horatianis Commentariis deprompta, tum aliunde hausta, id est Lambiniana *Plauti* et *Cornelii Nepotis* editione.

1) II. *Accusat.* C. 74. §. 184. p. Lambin. 117. 22. *iam non quaero, unde CCCC amphoras mellis habueris, unde tantam Melitensem vestem, unde quinquaginta tricliniorum lectos, unde tot candelabra: non, inquam, iam quaero unde hacc habueris, sed quo tibi tantum opus fuerit, id quaero. mitto de melle, sed tantumne Melitensium, quasi etiam amicorum uxores, tantum lectorum, quasi etiam omnium istorum villas ornaturus esses?* Lambinus Commentariis Lucretianis ad 4, 1123. p. 599., ibi, *interdum in pallam ac Melitensia Ceaque vertunt.* «vestes *Melitenses* » et *Ceas* in pretio fuisse sciunt vel mediocriter docti. M. Tullius Verrinarum 4. de Iure » Dicundo: *iam non quaero unde CCCC amphoras mellis habueris, unde tantum Melitensium,* et » cetera. ibidem: *sed tantumne Melitensium? quasi etiam amicorum uxores ornaturus esses,* et » cetera. ita enim utrobique legendum est, ut *Melitensium* sit a recto casu *Melitensia,* numero » multitudinis. quamquam scio, in editione Parisiensi a. 1565. impressum esse, *tantam* MELITENSEM *vestem,* culpa operarum, qui quod erat sumendum reliquerunt, quod reliquendum sequuti sunt.» igitur Lambinus neque satis castigavit operarios istos Tom. 2. p. 843.,

et ipse imprudens, ut equidem suspicor, quae corrigenda erant intacta reliquit p. 796. Orellius p. 196, 3. «— *tantum Melitensium* edit. 1584. Grut. Lall.» vid. Beckium Tom. 1. p. 346.

2) I. *Catilin.* C. 4. §. 15. p. Lambin. 317, 44. *quot ego tuas petitiones, ita coniectas ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione et ut aiunt corpore effugi?* Lambinus Comm. Lucretianis ad 5, 1329. p. 719. sq., ibi, *exibant dentis adactus.* «id est effugiebant, declinabant, evadebant. sic libro sexto [v. 1215.], *aut procul absiliebat, ut acrem* EXIRET *odorem.* ibidem citra [v. 1203.], *profluvium porra, qui taetri sanguinis acre Exierat,* et cetera. videtur esse a gladiatoribus tractum et translatum. sic loquuntur et Graeci, exempli causa Demosthenes κατὰ Ἀνδροτίωνος [p. Reisk. 617. in Bekkeri Oratt. Att. Tom. 4. p. 555.], *εἰσφέρων δ' ἐκ τῶν ἰδίων οὐδένα κίνδυνον ὑπὲρ δόξης ἐξέστη*· id est, *conferens autem de re sua familiari in rem publicam nullum periculum exiit,* seu quod idem valet, *evasit,* id est *effugit.* sic et κατὰ Τιμοκράτους, et quidem iisdem plane verbis [p. Reisk. 757. Bekker. Tom. 5. p. 56.]. sic M. Tullius Catilinaria Prima: *quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari posse non viderentur,* PARVA QUADAM DECLINATIONE, *ut aiunt,* CORPORIS EVASI? ubi vulgo legitur, *parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi.* male et mendose, opinor. quam scripturam tamen in mea Ciceronis editione secutus sum, nondum animadversa antiqua, quam postea reperi fere expressam in uno exemplari manu scripto pervetusto, nisi quod duae voces, *corporis* et *evasi,* delitescunt in litura neque satis liquidae aut integrae sunt, propterea quod emendator aliquis seu fortasse corruptor potius conatus est in locum antiquae scripturae, *corporis* et *evasi,* substituere *corpore* et *effugi.* quod eo dico, quia homo male de me meritus approbata mea emendatione in illo versu, qui est libro sexto, *aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem,* pro quo libri omnes habent, *aut procul absiliebat ut acrem exciret odorem,* commemorans verba illa Ciceronis in Catilinaria Prima ait se ita emendasse, *quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore excessi?* quam scripturam quamvis non damnem, praesertim quum a recepta in hoc uno discrepet, quod *excessi* reponatur pro *effugi,* recepta autem lectio in voce *corpore* non possit damnari, quod eam Virgilius confirmet in versu illo, qui est libro quinto [Aeneidos, v. 438. ubi vid. Burmannum Tom. 2. p. 654. adde Servium Commentariis ad IX. Aeneid. 439. Tom. 3. p. 425.], *corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit:* movet me tamen litura, quae est in codice manu scripto. praeterea illud *declinatione corporis* valde mihi videtur usitate dictum et significanter. praeterea illud *excessi* pro *evasi,* ut puto legendum ex antiquae scripturae vestigiis, aut *effugi,* ut habent libri vulgati et nonnulli veteres, duriusculum est apud Ciceronem, neque id facile receperim, nisi vetus codex comprobet. nam si ita scriptum est in vetere codice, nihil causae dico, quin omnibus aliis scripturis et coniecturis reiectis ita sit legendum. mihi enim carior est veritas et antiqua scriptura, praesertim probabilis, quam meae omnes coniecturae et cogitationes.» vid. Beckium Tom. 3. p. 373., ubi corrigendum, *declinatione, ut aiunt, corporis.*

3) Oratione pro *Caelio* C. 24. p. 60. p. Lambin. 503, 32. *nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eliciat?* vide Emendationes pagina nostra 291. adde quae Commentariis Lucretianis disputantur ad 3, 58. p. 296. sq., ibi, *nam verae voces tum demum pectore ab imo Eiiciuntur.* «*eliciuntur* habent omnes libri manu scripti et vulgati. quod si probemus, interpretabimur *exprimuntur.* sed existimant tamen docti legendum *eiiciuntur,* ut intelligamus homines ipsos in rebus adversis veras voces *eiicere,* id est mittere. et ita amicus meus putat legendum in Oratione pro M. Caelio, *nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eiiciat?* ubi vulgo legitur *eliciat.* cui propemodum nunc assentior, quamvis olim dissenserim. sed si mutatio consilii non est inconstantia, ut non est, et si in toto vitae statu licet interdum temporibus postulantibus sententiam mutare: quanto magis in iis, quae ad studia litterarum pertinent? ego igitur et in hac tertia editione *eiiciuntur* edendum curavi et item in secunda, quum in prima *eliciuntur* editum esset. neque hic me movent libri veteres: scio enim, in iis saepenumero *i* pro *l* et *l* pro *i* scriptum reperiri.» amicus Lambini M. Antonius Muretus, quem vide VV. LL. 2, 17. Operum Tom. 2. p. 50.

4) Oratione in *Pisonem* C. 26. §. 63. p. Lambin. 537, 13. *quodsi reprehendis, quod cupidi gloriae fuerint,* et reliqua. Lambinus Commentariis Lucretianis ad 5, 149. p. 597. sq., ibi, *tenuis enim natura deum.* «venit nunc mihi in mentem unius praeterea loci apud M. Tullium Ciceronem in Oratione in Pisonem, quem locum similiter vir longe omnium doctissimus idemque dum vixit carissimus et aliquot annos meus collega, Adrianus Turnebus corruptum existimans emendare conatus est [Adversariis 4, 15. cf. Lipsium VV. LL. 1, 18. Operum Tom. 1. p. Vesal. edit. 226. sq.], quum sit integer et incorruptus nullaque emendatione egeat. verba Ciceronis haec sunt: *quodsi reprehendis, quod cupidi gloriae fuerint, quum bella aut parva aut nulla gessissent: in tantis rebus gestis minime fructum laborum tuorum, praemia periculorum, insignia virtutis contemnere debuisti. neque vero contempsisti, licet sis Themista sapientior, sed os tuum ferreum senatus convicio verberari noluisti.* hactenus Cicero. putavit ille vir, haec verba, *licet sis Themista sapientior,* esse mendosa et sic emendanda, *licet sis tu* IN ISTO *sapientior.* sed, ut dixi, nullius emendatoris operam requirunt. fuit enim *Themista* mulier philosophiae Epicureae dedita, Leontei seu Leontis uxor, ad quam scripsit epistolas Epicurus, ut testatur Diogenes Laertius, qui eam saepenumero commemorat. ideoque longum sit locos omnes hic referre: uno atque altero contenti erimus. sic igitur Laertius [10, 5. Tom. 1. p. Meibom. 605.], *πρὸς Θεμίσταν τὴν Λεόντος γυναῖκα γράφων, Οἷός τε, φησὶν, εἰμὶ, ἐὰν μὴ ὑμεῖς πρός με ἀφίκησθε, αὐτὸς τρικύλιστος, ὅπου ἂν ὑμεῖς καὶ Θεμίστα παρακαλῆτε, ὠθεῖσθαι*· id est, *ad Themistam Leontis uxorem scribens, Possum, inquit, si vos ad me non veneritis, ipse ter volubilis, quocunque vos et Themista me invitaveritis, tanquam pulsu aliquo externo incitatus ferri.* idem [10, 25. p. 614.], *Λεοντεύς τε Λαμψακηνὸς ὁμοίως καὶ ἡ τούτου γυνὴ Θεμίστα, πρὸς ἣν γέγραφεν Ἐπίκουρος*· id est, *et Leonteus Lampsacenus similiter eiusque uxor Themista, ad quam scripsit Epicurus.* commemorat hanc Themistam idem Laertius duobus aut etiam, opinor, tribus aliis locis [v. c. 10, 26. p. 614. vide Menagium Tom. 2. p. 447. sq.], commemorat et Lactantius Firmianus libro tertio, qui de Falsa Sapientia inscribitur [Divv. Institt. 3, 25. p. Walch. 375.], his verbis: *Denique nullas unquam mulieres philosophari docuerunt* (Epicurei subintelligendi) *praeter unam ex omni memoria Themistam, neque servos praeter unum Phaedonem,* et cetera. satis nunc existimo perspicuum esse, in nomine *Themista* nullum subesse mendum, quod vir ille alioqui doctissimus suspicatus est, eademque opera in promptu esse verborum M. Tullii sententiam. nam quum *Pisonem* compellet, hominem, ut vult ipse Cicero, Epicureum, Epicurus autem gloriam et triumphos contemneret, quod nihil sit in eis quod ad voluptatem referri possit: more suo iocans Cicero dicit, eum non contempsisse triumphum, *quamvis sit Themista muliere praeceptis Epicuri polita atque erudita sapientior.* non necesse habeo aliorum coniecturas refellere, si qui post Turnebum ausi sunt huic Ciceronis loco tanquam sanae corporis parti scalpellum admovere. spero enim eos his lectis, nisi erunt valde pertinaces, et nisi se et suas coniecturas nimis amabunt, veritati concessuros ac manum daturos. Turnebum quidem, quo ingenio quaque animi aequitate et facilitate eum cognovi, si reviviscat, non dubito quin suae coniecturae suaeque emendationis vehementer paeniteat.»

5) Oratione pro *Milone* C. 1. §. 1. p. Lambin. 543, 40. *etsi vereor, iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat, quum T. Annius Milo ipse magis de rei publicae salute quam de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse: tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos, qui quocunque inciderint, veterem consuetudinem fori et pristinum morem iudiciorum minime vident.* Lambinus Comm. Lucretianis ad 3, 503. p. 341., ibi, *tum quasi talipedans primum consurgit.* »legendum *talipedans,* ut ego edendum curavi, quantumvis licet reclament Thrasones et sycophantae. meae autem coniecturae ratio haec est. scriptum erat in emendatis membranis *tum quasi talipedans,* et cetera. studiosus aliquis lector ad oram libri sui, in quo sic erat scriptum, adscripserat *vacillans,* ut vocem obscuriorem hac notiore declararet. scriptor librarius, qui postea ex eo exemplo librum descripsit, omisso vero nomine supposuit alterum interpretationis causa adscriptum, nempe pro *talipedans* VACILLANS. in quo genere saepe peccabant scriptores illi, quemadmodum supra admonuimus in *audeas* pro *ausis* [ad 2, 981., ibi, *nusquam consistere ut ausis,* p. 264. sq.], et in *re vera tamen haud sit* [ad 2, 658., ibi, *dum re non sit tamen apse,* p. 230.] pro *re non sit tamen apse,* et hoc libro in extremo [v. 1082.] *invitus adhaeret et angit,* pro *ingratis haeret et angit.* sic apud Catullum carmine in Egnatium [39, 19. p. Lachmann. 21.] scripserant *atque ruffam defricare gingivam,* pro *russam pumicare gingivam,* quod ex Apuleio in Apologetico [p. Elmenh. 277.] notavit Adrianus Turnebus, sic nuper apud Demosthenem in Oratione *κατὰ Μειδίου* non longe ab extremo [p. Reisk. 586, Bekker. Oratt. Att. Tom. 4. p. 528.] reposui *ἐκλώζετε* ex Harpocratione pro *ἐκεκράγατε,* quod eodem librariorum errore in codices Demosthenis irrepserat. sic in Oratione pro Milone in prooemio vulgo legitur *pristinum morem iudiciorum minime* VIDENT, quum libri manu scripti habeant et a Quinctiliano [11. Instit. Orator. 3, 50. p. Zumpt. 503.] referatur *pristinum morem iudiciorum* REQUIRUNT. quomodo se Franciscus Fabricius Marcoduranus, Germanus, homo doctissimus et vir optimus, in libris manu scriptis reperisse ad me scripsit.«

6) Oratione pro *Milone* C. 9. §. 25. p. Lambin. 547, 29. *convocabat tribus: se interponebat: coloniam novam, dilectum perditissimorum scribebat civium.* Lambinus Commentariis Lucretianis ad 1, 87. p. 21., ibi, *ductores Danaum dilecti.* »admonendus est lector, in tribus libris manu scriptis *dilecti* scriptum esse. quod probo. nam Festus quoque testatur *dilectus militum* dixisse veteres, non *delectus,* atque hanc vocem semper ita scriptam reperio in libris manu scriptis, tum apud alios scriptores tum apud M. Tullium; exempli causa Philippica Quinta [C. 12. §. 31. p. Lambin. 620, 43.], *bello autem dubio quod potest esse studium dilectus?* et paucis verbis post, *tumultum decerni, iustitium edici, saga sumi dico oportere, dilectum haberi sublatis vacationibus.* idem pro Milone, in narratione, *convocabat tribus, se interponebat, Collinam novam ex dilectu perditissimorum civium conscribebat.* quem locum eo libentius protuli, quod in omnibus libris vulgatis mendose legitur, non eo solum quod *delectum* habent pro *dilectu* et *scribebat* pro *conscribebat,* sed etiam quod *coloniam novam* pro *Collinam novam.* fuit autem *Collina* una ex quattuor tribubus urbanis. nolim vero Franciscum Fabricium Marcoduranum sua laude fraudare, qui se hunc M. Tullii locum ita scriptum in libris antiquis reperisse testatur.«

7) Epistolis 3, 8. Orell. Vol. 3. P. 1. p. 77. *limavit.* Lambinus in Indice Rerum et Verborum p. 527. »*limavit aliquid posterior annus de tua prolixa beneficaque natura.* alii *libitavit.*« ad haec idem sic disputavit Commentariis Lucretianis ad 3, 214. p. 313., ibi, *nil ibi limatum de toto corpore cernas Ad speciem.* »nihil demptum, nihil detractum, detritum, deminutum. sic autem videtur legendum potius quam, ut vulgo, *libatum.* M. Tullius Epistolarum libro tertio, *etsi de tua prolixa beneficaque natura limabit aliquid posterior annus. limabit,* id est deminuet, detrahet, decerpet. ubi tamen nonnulli libri veteres habent *limitabit,* ut et vulgati aliquot, ab eodem verbo.« vide Pareum Lexico Critico p. 679.

8) Epistolis 7, 32. p. Lambin. 82, 36. *sed quando tanta faex est in urbe, ut nihil sit tam ἀκύθηρον, quod non alicui venustum videatur: pugna, si me amas,* et cetera. Lambinus Commentariis Lucretianis ad 1, 24. p. 9., ibi, *neque fit laetum neque amabile quicquam.* »sic Callimachus [inter fragmenta a Spanhemio collecta, Tom. 1. p. Ernest. 390., ex Plutarcho de Virtute Morali Operum Tom. 2. p. 445. F.], *τίς δὲ χάρις, τί δὲ τερπνὸν ἄνευ χρυσῆς Ἀφροδίτης; τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλει·* id est, *quid lepidum, quid iucundum sine Cypride pulchra? Vita vale, haec curae mi esse ubi desierint!* tale fere est illud Menandri, quod refert Plutarchus libro Πῶς δεῖ τῶν ποιημάτων ἀκούειν [Tom. 2. p. 21. C.]; *ἅπανθ' ὅσα ζῇ καὶ τὸν ἥλιον βλέπει τὸν κοινὸν ἡμῖν, δῆλα ταῦτ' ἐσθ' ἡδονῆς·* id est, *omnia quae vivunt et solem nobis communem intuentur, haec voluptati serviunt.* ex quo Graeci ἀκύθηρον et ἀναφρόδιτον appellant quod Latini *invenustum,* id est illepidum atque inornatum. M. Tullius Epistolarum libro septimo ad Volumnium, *sed quoniam tanta faex est in urbe, ut nihil sit tam ἀκύθηρον, quod non alicui venustum videatur, pugna, si me amas,* et cetera. quo loco legitur in libris vulgatis ἄκυρον, mendose.«

9) Epistolis *ad Atticum* 4, 16. Lambino 17. p. Lambin. 247, 29. *itaque dixit statim reus lege maiestatis* ** ΟΥ ΣΟΙΜΡΙΣΑ ΜΑΦΙΗΙ. Lambinus Commentariis Lucretianis ad 5, 1415. p. 727., ibi, *sic odium cepit glandis.* »ex quo illud ἅλις δρυός, *satis quercus,* et M. Tullius Oratore Perfecto [C. 9. §. 31. p. Lambin. 249, 40.], *quae est in hominibus tanta perversitas, ut inventis frugibus* GLANDE *vescantur? glandis* et δρυὸς sive quercus facta mentio mihi aurem vellit meque admonet, ut locum in Epistolis Ciceronis ad Atticum libro quarto epistola, cuius initium est *O exspectatas* et cetera, in mea editione, in editionibus aliis vero epistola, quae hinc initium capit *Occupationum* et cetera, ab omnibus eruditis, qui eum usque ad hunc diem attigerunt, quique ei manus admoverunt, desperatum ac pro insanabili derelictum sanem atque emendem de sententia amici mei Simeonis Bosii, viri ingeniosissimi. verba Ciceronis sunt haec: *itaque dixit statim reus lege maiestatis,* ΟΥ ΣΟΙ ΛΑΡΥΣ ΛΑΛΛΑ ΦΥΗ. sic legitur in veteribus codicibus, quae litterae perspicue sunt corruptae. sic igitur legit ille, *οὔ σοι ἁ δρῦς μᾶλα φύει·* id est, *non tibi haec quercus mala* (id est, *glandes*) *gignit.* verba sunt liberti cuiusdam, qui videns se reum esse et fortasse etiam damnatum iri, iocans in periculo ante oculos posito et alludens ad quercum glandiferam, quae cibum suppeditavit primis illis hominibus fuitque eis quasi nutrix, et praeterea poenam lege constitutam respiciens (*fuste* autem verberabantur liberti condemnati, interdum etiam extremo supplicio afficiebantur) haec loquitur: *non tibi haec quercus glandes procreat,* id est, haec accusatio non tibi victum, sed magnum malum datura est. eadem opera illud quoque alterum vulnus, quod est in eadem epistola, sanabo, ΠΟΡΠΑ ΠΥΜΝΑ, ubi quidam legunt πρῶρα πρύμνα. sed legendum censet ille ΓΟΡΓΕΙΑ ΓΥΜΝΑ, id est, *larvae* seu *personae nudae.* sed de Cicerone hactenus.«

10) Epistolis ad *Atticum* 5, 12. p. Lambin. 253, 16. *itaque erat in animo, nihil festinare nec me Delo movere, nisi omnia ἀκρωτηρίων iura vidissem.* Lambinus Commentariis Lucretianis ad 5, 1002. p. 686. sqq., ibi, *nec poterat quemquam placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem.* »id est, fallacia et fallax aequoris tranquillitas, quae postea in magnos et horribiles fluctus interdum verti solet. supra libro secundo [v. 559.], *subdola quum ridet placidi pellacia ponti. iynx* appellatur a Graecis talis maris fallacia et quasi illecebra, videlicet

«summa tranquillitas, quae ad navigandum homines invitat. atque hic locus me admonet, ut locum apud Tullium in Epistolis ad Atticum depravatum emendem, qui est in epistola duodecima libri quinti. sic autem in nonnullis libris vulgatis legitur: *itaque erat in animo nihil festinare nec me Delo movere, nisi omnia ἀκρατηρέων iura vidissem*; quomodo in nostris libris veteribus scriptum reperi, in nonnullis aliis *nisi omnia ἀκρατηρέων tuta vidissem.* Malaspina sic putavit legendum, *nisi omnia ἀκρωτηρίων iura vidissem*, quam lectionem, quod mihi speciosa videbatur, in mea editione secutus sum. sed tantum abest ut haec sit emendata, ut corruptior sit quam recepta. ne diutius igitur lectorem suspensum teneam, ex voce ἀκρατηρέων duae faciendae sunt, ἄκρα τηρέων, et ex *iura* ἴυγγα. sententia nunc huius loci plana est. hoc enim sentit Cicero: propter difficultatem navigandi, quam superioribus diebus experti sumus, et quia naviculae Rhodiorum fluctum ferre non possunt, decretum erat mihi nihil festinare, nec me Delo commovere, nisi omnia ἄκρα τηρῶν sive τηρέων, id est *promuntoria observans*, ἴυγγα, id est *tranquillitatem maris* ad navigandum allicientem atque invitantem vidissem. haec igitur est illa maris tranquillitas, quam Lucretius *pellaciam* appellat et hoc et secundo libro, quamque M. Tullius se exspectaturum dicit, diligenter observata ventorum, qui ex promuntoriis existunt, ratione. fuit autem vox ἴυγγα depravata a scriptore librario, quum eam scripsisset litteris Latinis, hoc modo *iurra*, unde postea factum est *iura*. verum ne quid dissimulem, huius coniecturae et emendationis laus Simeoni Bosio, viro doctissimo atque ingeniosissimo, debetur. et quoniam idem in quodam Moschi carmine, quo talis maris illecebra describitur, mendum ab aliis non modo non sublatum sed ne animadversum quidem divina coniectura fretus sustulit, Moschi versus, praesertim quum ad hunc locum illustrandum valde pertineant, non me pigebit huc adscribere. sic igitur Moschus [5, 1. sqq. in Poetis Graecis Minoribus Tom. 1. p. Gaisford. 278.]:

τὰν ἅλα τὰν γλαυκὰν ὅταν ὥνεμος ἀτρέμα βάλλοι,
τὰν φρένα τὰν δειλὰν ἐρεθίζομαι, οὐδ' ἔτι μοῖσα
ἐντὶ φίλα, ποτάγει δὲ πολὺ πλέον ἅμμε γαλάνα.
ἀλλ' ὅταν ἀχήσῃ πολιος βυθός, ἁ δὲ θάλασσα
κυρτὸν ἐπαφρίζῃ, τὰ δὲ κύματα πυκνὰ μεμήνῃ,
ἐς χθόνα παπταίνω καὶ δένδρεα, τὰν δ' ἅλα φεύγω.
γᾶ δέ μοι ἁ πιστά, τάχα δ' εὔσκιος εὔαδεν ὕλα,

et cetera. id est, ut nos quidem vertimus:

Quum mare caeruleum lenis pavit aura levisque,
Tum mihi titillant mentem laevam atque misellam
Aequora, nec mihi terra placet, sed me magi' multo
Pellicit aequa maris facies ridentibus undis.
Ast ubi cana sonant ponti freta tristibus Euris,
Quum spumant undae et fluctus maris aequora turbant,
Terram oculis circumspicio ramosque virentes,
Et fugio mare ventosum fluctusque sonoros:
Terra mihi fida est cordi silvaeque salubres,

et cetera. ex interpretatione mea Latina facile iam cuivis intelligere licet, secundum versum esse mendosum et pro μοῖσα legendum duabus vocibus μοι γᾶ. quod idem ille Bosius unus et princeps vidit, mihique nuper, quum esset domi meae, indicavit. ego autem continuo ei assensus sum.»

11) Epistolis ad *Atticum* 8, 5. p. Lambin. 288, 49. *etsi solet eum, quum aliquid furiose fecit, paenitere: nunquam autem certior fuit, quam in hoc negotio.* Lambinus Commentariis Lucretianis ad 2, 654. p. 229., ibi, *si quis mare Neptunum Cereremque vocare Constituat fruges.* «M. Tullius libro secundo de Natura Deorum [C. 23. §. 60. p. Lambin. 222, 47.], *itaque tum illud quod erat a deo natum nomine ipsius dei nuncupabant, ut quum fruges* CEREREM *appellamus, vinum autem* LIBERUM, *ex quo illud Terentianum* [Eunucho 4. 5, 6. p. Lips. 165.], SINE CERERE ET LIBERO FRIGET VENUS: *tum*, et cetera. a *Cerere* autem dicti sunt *cerriti* quasi *cereriti*, id est furiosi et insani et a Cerere percussi. qua voce utitur Horatius satira tertia libri secundi [v. 278.], *Cerritus fuit an commotae crimine mentis*, et cetera. ad quem locum adnotavimus satis multa [Commentariis Horatianis Tom. 2. p. edit. Confluent. 222. sq.]. utitur et Plautus [Amphitruone 2. 2, 143. et aliis locis], utitur et M. Tullius in epistola quinta libri octavi ad Atticum, quem locum eo libentius lectori indicabo, quod nondum ullis in exemplis emendate legitur. sic igitur Cicero: *etsi solet eum, quum aliquid furiose fecit, paenitere. nunquam* CERRITIOR *fuit, quam in hoc negotio.* sic autem legendum esse princeps vidit Simeo Bosius Lemovix: nam vulgo legitur *certior.*» vide eundem Commentariis Horatianis ad l. l. p. editionis repetitae 223. e Lambino profecit Pareus Lexico Critico p. 190.

12) Libro quarto *Tusculanarum Disputationum* C. 36. §. 77. p. Lambin. 176, 12. *Impius hortatur me frater, ut meos malis miser Mandem natos.* Lambinus Commentariis Lucretianis ad 2, 627., ibi, *ne Saturnus eum malis mandaret adeptus*, et cetera. «ex huius loci similitudine versus poetae cuiusdam veteris, quos profert M. Tullius libro quarto Tusculanarum Quaestionum et libro tertio de Oratore ad Q. fratrem [C. 58. §. 217. p. Lambin. 204, 23.], qui in omnibus quos quidem viderim libris corrupte leguntur, sic restitui: *impius hortatur me frater ut meos malis miser Mandem natos.* vulgo enim legitur *manderem* pro *mandem.*» cf. ab Lambino disputata ad 3 de Oratore l. l. Emendationibus p. nostra 62. et adde Comm. Horatt. ad 1. Carmm. 16, 21. Tom. 1. p. repetitae editionis 86.

13) Libro primo *de Natura Deorum* C. 39. §. 110. p. Lambin. 211, 29. *quae etiam si essent quae nulla sunt, pellere se ipsa et agitari inter se concursu fortasse possent, formare, figurare, colorare, animare non possent.* vide Lambinum Commentariis Lucretianis ad 2, 219. p. 179., ibi, *spatio secedere paulum.*

14) Libro secundo *de Natura Deorum* C. 10. §. 26. p. Lambin. 217, 45. *ipse vero aer, qui natura est maxime humidus, minime est expers caloris.* Lambinus Commentariis Lucretianis ad 6, 845. p. 829., ibi, *frigore quom premitur porro omnis terra coitque Et quasi concrescit*, et reliqua. «id est, quum autem terra frigore comprimitur et contrahitur et quasi concrescit, fit scilicet ut coeundo et concrescendo exprimat, id est, per compressionem emittat in puteos semina caloris, quae in se continet. M. Tullius libro secundo de Natura Deorum ex sententia Stoicorum eandem fere quam Lucretius rationem affert his verbis [p. Lambin. 217, 29.]: *Omnes igitur mundi partes (tangam autem maximas) calore fultae sustinentur. quod primum in terrae natura perspici potest: nam et lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus, et recenti fossione terram fumare calentem, atque etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi, et id maxime hibernis fieri temporibus, quod magna vis terrae cavernis contineatur caloris, eaque hieme sit densior, ob eamque causam calorem insitum in terris contineat arctius.* atque huius loci facta mentio me admonet eorum, quae ibidem paucis post verbis sequuntur, ibi, *ipse vero aer qui natura est maxime frigidus*, et cetera. in eo igitur loco memini me reponere in ea editione Ciceronis, cui praefui a. 1565., *qui natura est maxime humidus*, et ce-

» tera. quod non oportuit. nam tametsi hoc verum sit, aerem esse maxime *humidum*, prae- » sertim ex sententia Aristotelis, tamen quum hic tractet Cicero Stoicorum sententiam, et » Stoici dicant aerem esse *frigidissimum*, ut refert Diogenes Laertius [7, 137. et ad eum lo- » cum Menag. Tom. 2. p. 313.], nihil est in Cicerone mutandum. fefellit me, ut dixi, quod » Aristoteles a Zenone dissentit ac discrepat.»

15) In *Laelio* sive de Amicitia libello C. 24. §. 90. p. Lambin. 431, 13. *quod contra oportebat delicto dolere, obiurgatione gaudere.* Lambinus Commentariis Lucretianis ad 1, 83. p. 20., ibi, *quod contra saepius olim Relligio peperit scelerosa atque impia facta.* » sic habent » libri quattuor manu scripti, et ita legendum putant viri docti, quibus assentior. sic enim » M. Tullium quum alibi tum in Laelio loqui memini: *peccasse enim se non anguntur, obiur-* » *gari moleste ferunt; quod contra oportebat delicto dolere, obiurgatione gaudere.* ubi vulgo legi- » tur QUIN CONTRA.» vid. Beier. p. edit. maior. 145.